

probatur primatus Romani Pontificis, tamen non est necesse, ut omnes Episcopos semper confirmauerit. Potuit enim id permittere Patriarchis & primatibus, ut in multis locis factum videretur.

De depositione multa etiam existant exempla, ac in primis CYPRIANVS lib. 3. epist. 13. ad Stephanum: Diriguntur, inquit, in prouinciam, & ad plebem Arelate cōsistentem à te litera, quibus absente Marciiano aliis in locum eius substituatur. Et infrā: significabit plane nobis, quis in locum Marciiani Arelate fuerit constitutus, ut sciamus ad quem fratres dirigere, & cui scriberet debeamus.

CALVINVS lib. 4. institut. cap. 7. §. 7. ex hoc ipso loco argumētū sūmit: Quās, inquit, si Gallia tunc præfūsset Stephanus, an non dicturus erat Cyprianus, coerces istos, quia tui sunt? sed longe alter loquitor; Hoc fraterna, inquit, societas, quia inter nos deuinclūsum, requirit, ut mucuo moneamus. R E S P O N D E O, Verbaista, quā Calvini citat, nusquam in Cypriano inueniri. Deinde, si Cyprianus putaset Stephanum non præfēt Galliis, sed tātū ex amicitia potuisse monere, cur non ipse per se Gallos monuissest?

NICOLAVS I. in epist. ad Michaëlem enumerat octo Patriarchas Constantinopolitanos, quos Romani Pontifices deposituerunt, inter quos unus fuit Anthimus, quem Agapetus Papa depositus, non obstantibus minis Augusti, & Augusta, & loco eius ipse suis manib[us] Cōstantinopoli Menam ordinavit, ut Liberatus scribit in Breuiario, cap. 21. & Zonaras in vita Iustiniani. Item GELASIVS in epistol. ad Episcopos Dardanias: Dioforum, inquit, secunda sedis prefūlēt sua auctoritate sedes Apostolica dannauit. Et ibidem: D. Petri sedes Alexandrinū Petrum, quem se tantummodo dannasse, non etiam soluisse noverat, non recepit.

Præterea Flauianum Patriarcham Antiochenum depositus Damafus, vt scribit Theodoretus lib. 5. hist. cap. 23. Et licet Imperator Theodosius niteretur Flauianum in Episcopatu[m] stabilitare, tamen iusfuit eum Romanum pergere ad causam descendam. Et Theophilus Alexandrinus per legatos apud Romanum Pontificem pro Flauiano intercessit, ut refert Socrates, lib. 5. hist. cap. 15. & similem operam nauasse Chrysostomum testatur Sozomenus, lib. 8. cap. 3. Deniq[ue] non antē potuit eum Episcopatum Flauianus tenere, quā Romanus Pontifex placatus consenſit, & legatos eius se admisſurum promisit. qui mox multos Episcopos, & præcipios Antiochenos Ecclesiæ Presbyteros ad Papam misit, ut scribit idem Theodoretus ibidem.

Episcopum etiā Hierosolymitanū Polychronium depositus Sixtus III. missus ad hoc in Hierusalem S. Leone Archidiacono, qui postea fuit Papa, ut patet ex tomo 1. Conciliorum, in actis Sixti III. Si ergo Romanus Pontifex omnes Patriarchas, id est, Cōstantinopolitanum, Alexandrinū, Antiochenū, Hierosolymitanū aliquando depositus, certe summus est iudex in Ecclesia.

A Denique de restituitione Episcoporum ab aliis depositorū, sunt etiam multa exempla. Nam Cyprianus lib. 1. epist. 4. Nec refūdere, inquit, ordinationem iure perfectam potest, quod Basilius post crimina sua detecta Romanum pergens, Stephanum collegam nostrum longe possum, & gefe rei, ac veritatis ignarum felicit, ut examinaret repente iniuste in Episcopatum, de quo fuerat iustus depositus, &c.

Deinde Athanasium Alexandrinum, Paulum Constantinopolitanum, & Marcellum Ancyranum Episcopos à Synodo Orientali depositos Iulius I. restituit, ut scribit Gelasius in ep. ad Episcopos Dardanias; & Sozomenus lib. 3. cap. 7. Cum, inquit, propter sedis dignitatem cura omnium ad ipsū spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit. Et infrā: Athanasius & Paulus ad suas sedes reuertuntur, literasq[ue] Iulij Episcopis Orientis mittunt. Item de Theodoreto restituto à Synodo ILL Ephesina ita legimus in Concilio Chalcedonensi, a d. i. Ingrediatur & reuenditissimus Episcopus Theodoreto, ut sit particeps Synodi, quia restituit ei Episcopatum sanctissimum Archiepiscopū Leo. Multa similia afferri possent, ad quā nihil omnino respondere possunt, nec respondent aduersarij.

Sed contrā NILVS quinq[ue] argumēta proponit. PRIMVM argumentū: Romanus Episcopus dicitur primus, quia secūdus ab ipso est Cōstantinopolitanus, tertius Alexádrinus, quartus Antiochenus, quintus Hierosolymitanus: At nō dicitur primus, & secūdus de superiore, & inferiore, sed de iis tantum, q[ui] sunt eiusdem ordinis, & dignitatis. Non enim Rom. Episcopus dicitur primus ratione Tusculani, aut Tyburtini, q[ui] ei subiecti sunt.

R E S P O N D E O, Romanum Pontificem simul Episcopum, Archiepiscopum, Patriarcham, & Papam esse. Et quidem ut Episcopum, primum esse in hac prouincia ratione Ostiensis, qui est secundus; & Portuensis, qui est tertius, & ceterorum, qui suo ordine numerari possunt. At vero, ut Archiepiscopum, non esse primum ratione Ostiensis, qui non est Archiepiscopus, sed simplex Episcopus, Archiepiscopo Romano subiectus: esse tamen primum ratione Archiepiscopi Rauennatis, Mediolanensis, & ceterorum Archiepiscoporum Occidentis.

Potremō, ut Patriarcham proprium Occidentis, non esse primum ratione Rauennatis, & ceterorum, qui Patriarchæ non sunt, sed ratione Constantinopolitanū, Alexandrinū, Antiocheni, & Hierosolymitanū Patriarcharum. Et hoc modo numerari quinq[ue] primarias sedes, quarum quilibet multis, & magnis prouinciæ praesideret.

Potremō, ut Papam & caput Ecclesiarū vniuersitatem, non esse primum ratione Constantinopolitanū, aut viiiii alterius, sed solum principem, ac pastorem omnium esse, nec ullam in ea potestate secundum, aut collegam habere. Nam quemadmodum esse debuit inter Episcopos ciudem prouinciæ unus, qui ceteris præficeret, & Archiepiscopus diceretur, & inter Archiepi-